



B. LUTHARDVS

III,

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 860. &c.

Nicolai Pont. 3.

Ludovici II Imp. 5. &c.

Ludovici German. Regis 20. &c.

Luthardi Ep. Pad. 1. &c.

Luthardus
ex nobili
Saxone
tertius
Paderb.
Episco-
pus.



Ublato è vita mortalium Badurado successit Luthardus Episcopus. Nomen scriptores aliquantulum variant: ab alijs enim Lindevardus, alijs Lintwardus; in diplomatis Imperatorum passim Liuthardus, & Luitharius scribitur, tanquam in Lotharij nomen, quod multis cum Lothario Imperatore ac Rege commune erat, conveniret. Utrumne à Ludovico Germaniæ Rege nominatus impositusque, an à clero Paderbornensi sit electus, inter incerta reliquit vetustas. Liberam quidem eligendi potestatem Luthardo dedit Carolus Crassus Imperator, uti postea referemus; sed & antè Carolus M. aut certè Ludovicus pius eandem libertatem dedit Clero; quemadmodum hac super re certa lex extat in libris Capitularium. Et jam Hathumarus ac Baduradus ita Collegium Sacerdotum Paderbornæ formarat, ut & idoneis ad Episcopatum viris abundaret, & numero etiam certare posset; neque aliunde petere necesse esset, maximè cum multi per Saxoniam nobilium & dynastarum filij sese in hæc collegia sacerdotum offerrent, qui & optima in clero disciplina imbuti, & omni scientiarum doctrina exculti, & publicis etiam munijs exerciti, clarisq; dignitatum gradibus eminebant inter suos. Quo ex numero ipse Luthardus erat; nam genus illi ex illustri nobilitate Saxoniae, quippe qui sororem habuit Walburgem primam Herisiensium Abbatissam, quacum, collatis in unum patrimonij bonis, sacrarum illud virginum monasterium condidit. Vixit in clero cum D. Menulpho ceterisque præstantibus viris in eodem Canonorum cætu & claustro Collegij.

Magna